



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

Caput I. Quid lex, & quæ ejus divisio?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

solvo aff. Ante ætatem sexagenariam dum non possunt jejunare, Ecclesia ipsos eximit à jejunio, sicut vera mater non exigit debiti solutionem à filio, qui solvere non potest; ergò etiam post illam ætatem, dum possunt jejunare, obligantur ad jejunium. Lex ergò censetur obligare subditos capaces legem servandi.

TRACTATUS

DE

LEGIBUS.

CAPUT PRIMUM.

Quid Lex, & quæ ejus Divisio.

Lex generaliter spectata est, *Regula morum, secundum quam inducimur ad agendum, vel ab agendo retrahimur.* Duplex est; naturalis, & positiva.

Naturalis est, *Quæ proficiscitur ex lumine rationis. Est immutabilis, & à nullius libera voluntate dependet.*

Positiva est, *Quæ ponitur in arbitrio, ac voluntate legislatoris, & ab eo dependet.*

Lex naturalis est radius legis æternæ, quæ est ipsa ratio Divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. S. Aug. l. 22. cont. Faust. cap. 27.

Omnis lex derivatur à lege æterna: etenim in temporali lege nihil est justum, atque legitimum, quod non ex hac æterna lege sibi homines derivaverunt. S. Aug. lib. 1. de lib. arb. c. 6.

1. Quotuplex assignatur legis mutatio?
 R. Triplex: una est, quâ fit, ut lex abrogetur; altera, quâ in lege dispensatur. 3. Quâ fit, ut mutetur materia legis, sive circumstantiæ, in quibus lex lata erat.
2. Quando nam censetur propriè fieri dispensatio?
 R. Quando lex sufficienter promulgata desinit obligare ex eo, quòd legislator, manente eadem materiâ, vel iisdem circumstantiis, in quibus antea obligabat, vi potestatis legislativæ tollat obligationem: ut si dux militiæ eximat gregarium militem ab onere agendi excubias &c.

Dicitur, *manentibus iisdem circumstantiis*; quia si istæ mutantur, & ideo cesset obligatio legis, non propriè fit dispensatio, sed solùm dicitur mutari materia legis. Ut si aliquis rhedâ vehatur, & rex imponat omnibus & singulis onus annuè pendendi supremum aureum, & aliquis, qui rhedam intertenuit, eam abjiciat, eximetur ab onere, nec tamen propriè respectu istius fit dispensatio.

3. An lex æterna possit abrogari, item an lex naturæ possit immutari?
 R. Ad utrumque neg. Utraque immutabilis, & à nullius legislatoris voluntate dependet. In neutra potest fieri dispensatio rigorosa, quia
 nec

nec ipse Deus ab aliquo in particulari potest auferre legis æternæ, aut naturalis obligationem: unde efficere non potest, ut cuiquam liceat mentiri; si enim alicui licentiam mentiendi facere posset, posset & sibi: & hoc demùm si posset, quis jam convinceret Scripturam Sacram à mendaciis esse immunem?

Potest tamen lex æterna, vel naturalis mutari hoc sensu, quòd obligatio desinat propter mutationem materiæ, vel mutatas circumstantias; sic reddere alienum juris naturalis est, si tamen dominus rei id, quod alienum erat, ex liberalitate &c. mihi proprium faciat, non fit propriè dispensatio in hac lege naturali, *non licet retinere alienū*, sed mutatur materia & circumstantiæ.

4. Quid intelligitur per *Epikēiam* in lege?

℞. Interpretatio legis, quæ potest fieri duplici modo: 1. Legem declarando, & explicando, quæ est *Epikēia* latè sumpta. 2. Colligendo, & iudicando, quòd lex desinat me obligare in aliquo casu particulari, licet tamen spectatâ suâ generalitate videatur extendi.

In lege positiva datur *Epikēia* strictè dicta, quia interpretamur legem jejunii ab Ecclesia non extendi ad ægrotos, &c.

In lege tamen naturali *epikēia* strictè accepta locum non habet, quia, ut dictum est, immutabilis est, & proinde in nullo casu particulari potest deficere. An detur ignorantia vel in lege naturali, vel positiva, videte suprà in tractatu de Actibus humanis.